

sonam non obligare, quae declaratio fieri potest etiam ab inferiori, & sic a Parocho praevia mediâ attentione, de hoc aliqui diximus. *Tom. 1. in 1. 2. 9. 3. de lege naturalis Dns. 6. §. 1. n. 2.* In aliquibus vero impedimentis impedimentibus tantum dispensare potest Episcopus, quia licet inferior, per se loquendo, non possit dispensare in lege superioris, consuetudine tamen receptum est, ut dispensatio, & relaxatio; immo nec super aliquibus illa potest dispensatio. At loquendo in actu, dispensatio esse vera dispensatio, siue alligari potest probata consuetudine, aut tacito superioris consensus, quin immo ab omnibus Ecclesiarum partibus ex g^{ra} Romana Sedes, ut super dispensatione ab impedimentis dirimentibus obtinenda, ad istam, vel ad habentem facultatem ab ipsa specialiter delegatam, fideles, si fieri possit, recurrant.

VIII. In aliquibus tamen casibus posse Episcopum dispensare censent Doctores, quos inter alios refert, ac legitur Sylvius *q. 50. Suppl. ar. un. questio 2. Primus est.* Quando publice notum est matrimonium in facie Ecclesiae esse celebratum, immo & consummatum, impedimentum quod inter coniuges detegitur, occultum est, nec possunt separari abique gravi infamia, & scandalo, vel grandi alicuius mali periculo, nec ad Papam, vel ejus legatam facultate dispensandi instrumtum tutus pariter recurrit, five propter pauperatam, five propter locorum distantiam, five propter alia graviora impedimenta. Tunc enim censetur Pontifex tacite indulgere, ut auctoritate sua Episcopus dispense super illo impedimento, esse dirimente. Tum qua non est credibile, Pontificem velle sibi reservare dispensationem in casu tanta necessitatis. Reservatio enim dispensationis est propter charitatem, & bonum Ecclesiae regimen: esset autem contra utrumque, fideles, qui bona fide processerunt, & in auxilium constituti nesciunt qui veritatem, omni opportuno remedio delictuos relinquere. Quemadmodum ergo valde probabile est, in casu summe necessitatis, etiam circa mortis articulum, quando pateat aditus ad Papam, vel alium ejus facultate instrumtum, Papam concedere Episcopo facultatem absolventi etiam a sibi reservatis criminibus: ita & in casu, ut alioquin poenitens, sicut & coniuges maneat tota vita ligati crimine, aut censura, aut impedimento. — Tum etiam summus Pontifex ignorare non potest, sententiam hanc a multis probatis doctoribus sustineri, eaque ut multos Episcopos zelum animarum habentes. Cum ergo non contradicat, signum est, eum tacite consentire.

IX. Ut tamen in praedicto casu possit Episcopus dispensare, concurrere debent sequentes conditiones. Prima, ut matrimonium contractum sit in facie Ecclesiae praesentibus proclamationibus. Secunda, ut matrimonium contractum sit bona fide ex juris, vel facti ignorantia probabili scilicet ex parte unius. Si tamen ignorantes quidem, sed sine solemnitatibus debitis contraxerunt, aut mala fide processerunt, verosimilius est, eos esse separandos, usque dum a Papa dispensatio concedatur, quia non presumitur velle iniquitati contrahentium adhuc tacite parcere. Tertia est, ut matrimonium sit consummatum. Quarta, ut impedimentum occultum sit. Quinta, ut separatio non possit fieri sine scandalo. Sexta, ut, vel non possit dispensatio differri sine morali periculo peccandi, vel coniuges ob locorum distantiam, vel inopiam, Pontificem, vel alium, qui dispensandi potestatem habeat per se, vel per alios adire non possint. Septima, ut haec dispensatio obtineatur ab Episcopo, non ab ejus Vicario, quia praesentis talis est. Nam haec potestas Episcopo non convenit ex officio. Eam tamen Vicario suo committere, sicut & alia, quae ad forum confcientie pertinent, cum haec dispensatio sit in foro confcientiae tantum ex tacita Pontificis indulgentia.

X. Alter casus statuitur a Sanchez qui docet, Episcopum posse per se, vel per alium super impedimento matrimonii dirimente etiam antequam matrimonium sit contractum, dispensare, sicut facere, ut sint legitimi contrahentes, si non pateat facilis aditus ad Pontificem, vel ejus auctoritatem delegatam habentem, & ex dilatione timerentur graviora incommoda, scandala, inimicitiae: non enim, inquit, est credibile, Pontificem velle sibi reservare dispensationem cum tanto fidelium periculo. Sanchez sequitur Bonacina, Barboza, Salas & C. Cabanus autem sentit, circa matrimonia contrahenda arctiorem esse Episcoporum potestatem, ac peritro contingere, ut in hac parte licite, ac valide dispensent. Unum casum aliter occurrere, in quo, etiam in foro confcientiae valeat, ac licita sit concessio ab Episcopo dispensatio. Et est, Cum Parocho per confessionem sacramentalem innocenter occultum adulterium impedimentum contractum ex illicita carnali copula, nec aliunde via pateat, qua vitetur, tum scandalum, tum infamia, periculum, & quae alioquin exoritur ex nuptiarum dilacione. Non enim est verosimile, quod Papa in illis arguendis dispensationem sibi reservare voluerit.

XI. Quoad impedimenta vero, solum impedientia communis sententiae ferit, Episcopus posse dispensare, exceptio tamen voco Calistatus, & Religionis. Quia licet haec lata sint a superiore, & per se loquendo, non possit inferior in lege superioris dispensare; consuetudine tamen receptum est, ut dispensatio talium impedimentorum non queratur a Papa, exceptis duobus citatis nempè votis Calistatus, & Religionis, dummodo tamen haec sint perpetua. Nam vota de non nubendo, de non petendo conjugal debito, de suscipiendo faeros ordines, de servanda castitate ad paucos menses, non comprehenduntur sub votis castitatis perpetuae, vel religionis, quia non sunt absoluta; & ideo Episcopus potest in illis dispensare. Sicut etiam potest dispensare in impedimentis, quae matrimonio prius contracto superveniunt, prohibentque de-

bili conjugalium petitionem, & usus ejus generis est officitas, quae contrahitur inter coniuges, five per hoc, quod unus coniugum carnaliter cognoscit suae coniugis sanguinem in primo, vel secundo gradu, five per hoc, quod extra casum necessitatis baptizaverit suum filium, vel in ejus baptismis, aut confirmatione factus fuerit ejus pater. Quae impedimenta cum matrimonio superveniunt, vel non possunt dirimere matrimonium jam contractum, nihilominus eum privare jure petendi debent, qui scienter illa contraxit, dixi scienter, quia si maritus ignorabat, eam, cum cognosceret, esse consanguineam non impeditur a petitione debiti, ut ait Rodriguez, *1. part. sua summa, cap. 232. num. 12.*

§. III.

Quoadnam dispensatio obest si irrita

XII. Duplex a Doctoribus distinguitur causa, qua Pontifex moveri potest ad dispensandum: finalis nempe, & impulsiva. Causa finalis dicitur ea, quam praecipue spectat dispensans, & qua movetur ad dispensandum: ita ut sine illa, aut nullo modo, aut nonnisi cum quibusdam conditionibus, vel limitationibus dispensaret. Causa vero impulsiva dicitur ea, propter quam dispensans facilius dispensat: ita tamen, ut sine illa secundum rectam rationem, & causae meritum esset dispensaturus eodem modo.

XIII. Nota insuper, quod cum petitur dispensatio, vel ut tantum afferret causa dispensandi, vel multiplex. Si primum, causa illa censetur finalis unice movens dispensatorem ad rationabiliter dispensandum. Si vero secundum, causa illa debent cenferi finales, quae quasi intrinsicè afficiunt rem, in qua dispensandum est, & dispensationem efficiunt justam, & rationabilem. Quod si una vel altera sufficit ad hoc, ut aequum dispensatorem moveat ad dispensandum, reliquae omnes haberi possunt, ut impulsivae. Unde expressio falli in illis non impedit dispensationis valorem, quem impedirent, si non essent aliae causae ad justam, & rationabilem dispensationem sufficientes.

XIV. Nota tertio, in petitione dispensationis posse fallum exponi, & verum reticere. Expositio autem falli, & reticentia veri aliquid pertinere potest ad causam finalem, aliquid ad impulsivam tantum. Tunc expositio falli pertinet ad causam finalem, quando non afferret alia vera causa sufficientis ad aequum, & rationabilem dispensationem, quando vero, vel per alia hujusmodi vera causa afferret, ad causam tantum impulsivam pertinet. Reticentia veri tunc pertinet ad causam finalem, quando verum, quod reticetur, si cognitum esset, aequum, ac prudentem superiorem rationabiliter averteret a concedenda, vel scilicet a tali modo concedenda dispensatione. Pertinet autem ad causam impulsivam tantum, quando cognitum superiorem a danda dispensatione non averteret, sed solum difficeret efficere. Vel esset reticentia veri extrinsece tantum sufficientis rem, in qua est dispensandum, ita ut si esset cognitum, averteret superiorem a danda dispensatione, non ob defectum causae sufficientis ad dispensandum rationabiliter, sed ob injuriam alias ab eo illatam dispensatori, reticentia pertineret ad causam solum impulsivam. His positis.

XV. Dico primo. Expositio falli, si pertinet ad causam finalem, irritam facit dispensationem, fecus vero, si pertinet ad causam tantum impulsivam. Prior pars probatur ex observatis. Nam tunc pertinet ad causam finalem, cum in petitione nulla alia vera causa afferret ad justam, & rationabilem dispensationem sufficientem. Cum ergo praesumi debeat, superiorem velle esse justam, & rationabilem causa dispensat, si non exponitur alia causa, quam falsa, superior dispensat propter causam illam falsam, adeoque ex merito errore dispensat, & sic dispensatio per surreptionem obtinetur, quia obtinetur dispensationem per surreptionem, & eam obtinere per errorem dantem causam ejus concessionis idem fuit. Dispensatio autem per surreptionem obtenta, ipso jure nulla est. Ut ex Cap. Si de filiis Presbyterorum in 6. qua est obtenta contra voluntatem concedentis.

Secunda autem pars prob. quia, ut notatum tantum, expositio falli pertinet ad causam impulsivam tantum, quando afferret alia vera causa sufficientis ad justam, & rationabilem dispensationem, & qua, etiam si non esset expositio falli, dispensatio adhuc ad justam dispensationem moveretur: ergo tunc non censetur dispensatio data per errorem, & perinde nec surreptionem; ergo censetur valida.

XVI. Dico secundo. Reticentia veri, si spectet ad causam finalem, dispensationem irritat, fecus vero, si ad causam tantum impulsivam pertinet. Prior pars ex dictis apparet: Nam tunc verum, quod reticetur intrinsicè afficit rem, in qua dispensandum est, & si notum esset superiori, eum rationabiliter averteret a danda, aut certe tali modo danda dispensatione: ergo tunc superior censeri debet dispensare per errorem, & dispensationem esse surreptitiam extortam, & irritam.

Secunda pars patet etiam. Quia tunc verum, quod reticetur, si cognitum esset a superiore, aut eum tantum difficeret diffidere in concedenda dispensatione, aut si a concedenda averteret, non averteret ex defectu causae ad justam ac rationabilem dispensationem, & sic superior dispensans, vero aliquo a petente exposito motus, non censetur dispensare per errorem, sed esse justa & rationabili causa, nec dispensatio erit surreptitia.

XVII. Ad amovendas tamen omnes dubitationes, & scrupulos tutius est, ut qui dispensationem petunt, fideliter &

fideliciter exponant omnia, quae jurare, & quae retardare possunt dispensationem, puta, expressis, & distincte gradus consanguinitatis, vel affinitatis, & incestus, si committitur sicut ad finem facilius obtinendi dispensationem. Si impedimentum sit cognationis spiritualis extorri debet, an sit paternitas, vel maternitas: quia longe magis delectet aliquem ducere filiam suam spiritualem, quam ducere matrem ejus. Unde in priori casu non foleat Pontifex dispensare. Si impedimentum sit publici honestatis, exponi debet, an orum sit ex sponsalibus, an ex matrimonio rato, quia ex hoc longè fortius ligat. Si demum plura sint impedimenta, omnia debent distincte explicari, vel una petitione, si veluti cognata sint, vel pluribus si disparata. Sed haec meo Censidario satis.

XVIII. Si queras, cum quibus, & quando sit in impedimentis matrimonium dirimentibus concedenda dispensatio? Respondeo primo ex Conc. Tridentino, *Sess. 24. c. 5. de Reform. Matr.* Quod si quis intra gradus prohibitos sine orum matrimonium contraxerit presumptivè, separatur, & sine dispensationis concessione caret: itaque in eo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contraxerit, sed & consummaverit, aut fuerit. Quod si ignoraverit id fecerit, si quidem solemnitates requiritur in contrahendo matrimonio neglexerit, & videlicet subijctur poenitens; non tamen dignus est, qui Ecclesia benivolentiam facile exonerat, eorum salubritate praepcepta temere contempserit. Si vero solemnitates adhibuit, impedimentum aliquid postea jussu cognoscatur, cuius ille prohiberi ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo, & gratius dispensari solet.

XIX. Respondeo secundo ex eodem Conc. ibi: In contrahendo matrimonium, ut nulla eminus detur dispensatio, vel ratio, itaque ex causa, & gratis considerat. In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter majores Principes, & ob publicam causam.

XX. Respondeo tertio, concedendam esse dispensationem cum urget necessitas, aut postula spiritualis utilitas. Necessitas quidem, puta angustia loci, quae possit oriri, vel ex eo, quod major pars civium sine consanguineis, vel affines populantibus dispensationem, vel ex eo quod quis conjugem non inveniat, qui ejusdem, aut similis sit status, & conditionis: summa enim in conditione disparatis domesticæ paci, & numerum salutis plurimum avertetur. Similiter si hoc sit necessarium ad magne litis extinctionem, vel ad pacificandis discordias, five praesens, five quae praevidentur future. Spirituales etiam utilitates, ut si ex tali conjugio certa esset, vel speraretur valde probabiliter alterius conjugii ad fidem conversio, quod Aedes, Oppida, Urbes in fide catholica mansurerentur, alioquin ad haereticos transirent, vel ad catholicorum Dominium reverterentur. Insuper si dispensatio petatur ad evitandum periculum mortis, scandalum grave, ut peccatum mortale. Aliae rationes in praxi occurrere possunt, quibus prudens sit dispensatio.

Q U Æ S T I O VIII.

De Impedimentis in Specie.

Impedimenta alia sunt impedientia tantum, alia sunt etiam matrimonium dirimentia. De utrisque, quae, & quot sint, questio praefens versabitur.

D O B I U M I.

Qua, & Quot sint Impedimenta Impedientia.

§. I.

De Ecclesia Verbo, & tempore Feriatis.

Hujusmodi impedimenta dicuntur impedientia, quia ut ait S. Th. q. 50. *Suppl. ar. un.* ad 6. non dirimunt matrimonium contractum, sed impediunt contrahendum: Non ut non fiat, sed ut non licite fiat, & tamen si fiat verum matrimonium contractum est, quousque contrahentes peccat: sicut si aliqui consecratis post comestione peccaverit, contra statutum Ecclesiae faciunt: nihilominus verum sacramentum perfecerunt, quia Jesuam consecratis non est de necessitate sacramenti. Talia, praeter indispositionem subiecti alii sacramenta communem, ut excommunicationem, & affectum peccati mortalis, sunt ista lex.

Ecclesia verbum, nec non tempus feriatum, atque Catechismus, sponsalia, crimina, votum

Impedientia fieri, permittunt facta teneri.

II. Ecclesia verbum, seu interdictionum, vocatur prohibitio superioris Ecclesiasticae interdictionis ex causa matrimonium ad tempus, siue iste fit Episcopus, siue Parochus, qui velle interterea consultare Episcopum servato tamen ordine iuris. Hanc prohibitionem reddere nuptias illegitimas, non autem irritas declaravit Alexander III. l. 4. *Decret. c. 1. & c. 3. tit. 16.* de matrimonio contra interdictionem Ecclesiae, ubi loquens de puella, quae desponsata uno viro rupsisset alteri post prohibitionem Archiepiscopi: *Litez enim* (inquit) *contra interdictionem Ecclesiae ad secunda vota transire non deberit, non est tamen conventio, ut ob id solum sacramentum conjugii diffusetur. Alia tamen poenitentia eis debet imponi, qui contra prohibitionem Ecclesiae hoc fecerunt.*

Quovis autem seculo Ecclesiae veterum matrimonii celebrationem reddidisse illegitam, ex eo colligitur; Quia in re tantum momenti, quanti est matrimonium, christiani debuerunt

semper obedire Ecclesiae, quam qui non audis, inter Ethnicos, & publicanos censendus est, ut ait Christus.

III. An vero tempore interdictionis peccatis censenda sint vetita matrimonium. Respondeo, negative, dummodo tamen pro eo tempore omittatur, solemnem benedictionem nubentibus impartiri. Et ratio est, quia matrimonium solum non nullis, qui continere non possunt, esse sacramentum necessarium necessitate praecipi divini. Sicut ergo eo tempore, de quo agitur, sicutum est parvulis, & adultis Catechismis baptisma conferre: ita & sponfos ad matrimonium admittere.

IV. Tempus feriatarum secundum modernam Ecclesiam praxim, est ab adventu Domini usque in diem Epiphaniae, & a feria quarta Cinerum usque ad octavam Pascae inclusive. Et hoc tempus computandum est a media nocte Domine primae Adventus, & a media nocte feriae quarte Cinerum.

V. Non fuit autem quovis seculo eadem circa hoc disciplina. Ad solum enim tempus Quadragesimale tempus a matrimonio feriatarum, quarto incunte seculo fuisse in Oriente, constat ex Laodiceana Synodo, *Can. 52.* quae haec habet: *Quod non oportet in Quadragesima nuptias, vel natalicia celebrare.* Eundem disciplinam commendavit in Occidente Nicolaus I. qui respondens ad consulta Bulgarorum, *cap. 48.* Unde (inquit) *non uxorem ducere, nec convivium fieri in quadragesimali tempore convivere posse nullatenus avertimus.*

Synodus vero Salegundensis, anno 1022. sub Benedicto Papi VIII. c. 3. ad plura tempora ferias a matrimonio ineundo extendit: ait enim *De legitimis autem conjugis ita visum est,* quod nullus christianus uxorem ducere debet, ab adventu Domini usque in octavam Epiphaniae, & a septagesima usque in octavam Pascae, nec in superstitis quatuordecim diebus (de quibus c. 1.) ante festivitatem S. Joannis Baptistae, neque in praedictis jejuniis diebus, siue in omnium solemnium diem praecedentibus nobilitas.

Verum procul temporis frigecente charitate, & poenitentiae amore, ut fornicationum tolleretur occasio ad brevis spatium dies quibus celebrato matrimonio vetita erat, Concil. Tridentinum reduxit. Nam *Sess. 24. cap. 10. de Reform. Matr.* *Ab adventu* (inquit) *domini usque in octavam Pascae, & a feria quarta Cinerum usque in octavam Pascae inclusive, a nuptiis solemnibus nuptiarum prohibitionem diligenter ab omnibus observari debet: Synodus praecipit: In aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittit.*

VI. Rationes autem, cur praefatis diebus Ecclesiae nuptias interdixit, fuerunt. Primo: quia apud Graecos jejuniarum diebus non offertur sacrificium Missae, ac proinde, nec celebratur conjugium; quod non minus, quam apud Occidentales consuevit intra missarum solemnibus celebrari. Secundo: quia nuptiarum solemnitas argumentum fuit licitiae, quae cum jejuniarum, & poenitentiae diebus non componitur. Tertio: quia festis, quibus solemnia jejunia permittebantur, fideles Eucharistia se recitabant, unde par erat, ut temperarent a nuptiis, quarum usu orationem impediri docuit Paulus 1. Cor. 7.

VII. Queri solet: An nuptiarum prohibitio pro certis anni temporibus facta intelligi debeat de sola eorum solemnitate, an vero de ipsis nuptiis secundum substantiam?

Censent multi, jure communi tantum prohiberi solemnitate nuptiarum, quae hac tria complectitur, nempe novorum sponsum benedictionem, sponsae in domum sponso cum pompa, & comitatu tradendum, & nuptiale convivium. Ceterum contractum matrimoniale sine illis solemnitatibus fieri posse: Nam Canones non quomodocunque loquuntur de matrimonio tunc non contrahendo, sed de illo non celebrando, id est non periculiendo cum solemnitate. *33. q. 4. C. non oportet* cum duobus sequentibus. Unde Conc. Tridentinum, a citato loco, nuptias, quae prohibent, & antiquius prohibita erant, vocat: *Solemnium nuptiarum prohibitionem addidit in aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittit.*

Verum si quis attendat Ecclesiam antiquae, & recentioris intentionem in prohibendis tali tempore nuptiis, ut supra ostendimus, haud difficultatè judicabit, venisse olim Ecclesiam, & etiam nunc vetere celebrationem nuptiarum, quae etiam sine praefata pompe solemnitate celebrantur: eo vel maxime, quod modo celebrari non possunt sine praesentia Parochi, & duorum testium, quod aliqua solemnitas est, ac praecedere debent proclamationes. Ut ut tamen sit jure, & consuetudo locorum, ac Dioecesum attendenda est.

§. II.

De aliis impedimentis impedientibus.

VIII. Sanctus Thomas, q. 50. *Suppl. ar. un.* Non alia censet impedimenta impedientia, quam duo supra relata. Communitè alia quatuor adjunguntur.

Primum est Catechismus, qui est quaedam spiritualis cognatio contracta per hoc, quod puerum, vel puellam, vel alium catechizat, seu in fide solemniter instruit, five ante baptismum, five post sine caeremoniis collatum. Et contrahitur inter eandem personas, inter quas est baptismo nascitur spiritualis cognatio, sed impediens solum, non dirimens, ut habetur *Cap. Per Baptismum* de cognitione spirituali in 6.

Hoc impedimentum substantiam esse cognitione spirituali in 6. 24. c. 2. de Ref. Matr. existimat Sylvius, Sa, Sanchez, Ledefra, & alii. Ibi enim Concilium fultit omnes cognationes spirituales, praeter eas, quae ibi recemter: *Omnibus* (inquit) *inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis*

invisi contra hunc finem, nulla ratio est...

XXII. Sed obijciunt primo. Ello de jure novo hoc verum sit, non tamen de jure antiquo. Et afferunt primo S. Basilium, Episc. d. canonica ad Amphilocho. Can. 40. dicentem: Quae prae heri sententiam se viro tradidit, fornicata est: quae vero postea matrimonio libero usa est, nuptia. Quare illud quidem fornicatio est: hoc vero matrimonium. Quia postea eorum, qui sunt in alterius potestate, nihil habet firmi. Quod repetit, Can. 42. Secundo, Concilium Cabillonense II. ann. 513. celebratum Can. 30a. dicens: Nobis visum est, ut conjugia servorum non dirimantur...

XXIII. Respondeo tamen ad primum, & secundum: Ecclesiam aliquando tolerasse leges civiles matrimonii servorum absque consensu dominorum quoad forum externum irritantes, & pro fornicationibus habentes; maxime ubi erat difficile oppositum introducere; nunquam tamen ea ut quoad substantiam irrita declarasse, si servata Ecclesiae forma contracta fuissent ob rationem superius allatam. Nam servus est quidem res Domini quantum ad ea, quae naturalibus superadduntur: sed quantum ad naturalia omnes sunt pariter. Unde in his, quae ad usum naturalem pertinent, servus potest alteri, in illo Domino potestatem sui corporis per matrimonium habere. Ita S. Th. ibi ad 1.

XXIV. Obijciunt secundo. Post contractum matrimonium servus tenetur debitu reddere uxori, etiam ex praeccepto juris divini: sed eo tempore, quo uxor debitu petit, potest Dominus aliquid servitium servo imponere, quod facere non poterit si carnali copula vacare velit; ergo vel servus privatur debito, quo tenetur erga uxorem, vel Dominus servitio sui debito obsequi su culpa.

Rursus. Potest Dominus vendere servum suum in exteras regiones, quo uxor sua non poterit cum sequi, vel propter infirmitatem corporis, vel propter fidei periculum imminens, puta si vendatur infidelibus, vel etiam Domino uxoris non permittente, si sit ancilla, &c. sic matrimonium dissolvitur, non est absurdum. Tertio, favorabilior est obligatio, qua homo indivisi obsequi se tenetur, quam illa, qua homo se uxori subjicit: sed servus sine consensu Domini non potest religionem intrare, vel ad ordines promoveri; ergo minus potest sine ejus consensu matrimonio jungi.

XXV. Haec sibi objicit S. Th. citatus, qui tamen solvit. Primum quidem ad 3. Quod si servus volente Domino matrimonio contraxerit, tunc debet praetermittere servitium Domini imperantis, & reddere debitum uxori: quia per hoc, quod Dominus concessit, ut matrimonio servus contraheret, intelligitur ei concessisse omnia, quae matrimonio requiruntur. Si autem matrimonium ignorante, vel contradicente Domino est contractum, non tenetur reddere debitum, sed potius Domino obedire, si utramque simul esse non potest. Sed tamen in his multa particularia considerari debent, sicut etiam in omnibus humanis actibus; scilicet periculum castitatis imminens uxori, & in matrimonium quod ex redditione debiti servitio imperato contractatur, & alia hujusmodi: quibus omnibus vires posteriori judicari poterit, cui magis servus obedire tenetur, Domino, vel uxori.

XXVI. Secundum solvit ibidem, ad 2. Quod in tali casu Dominus cogendus est, ne servum uxori suae cum non desit facultas ubi nuptiae servum suum uxori suo postea perire.

XXVII. Tertium autem solvit ibidem, ad 3. discrimen esse: Quod per religionem, vel ordines susceptionem aliquis obligatur uxori obsequi quantum ad votum tempus. Sed vir tenetur debitum reddere uxori, non semper, sed congruis temporibus. Et ideo non est simile.

Et praeter illa, qui intrat religionem, vel suscipit ordines, obligat se ad aliqua opera, quae sunt naturalibus superaddita, in quibus Dominus potestatem ejus habet, & non in naturalibus, ad quae obligat se per matrimonium. Unde potest continen-tiamovere, sine consensu Domini.

DUBIUM III.

An Votum dirimat Matrimonium.

S. I.

Resolutio Prior.

I. L. Oportet de voto solemnium. Nam votum simplex castitatis non dirimat matrimonium contractum, sed solum impedire, non contrahatur, supra dictum est. Dub. 1. n. 11. ex S. Th. q. 53. a. 1. Votum autem dicitur solemnium, non solemnitate mere accidentaliter, quia nimirum quibusdam ceremoniis, & solemnitatibus ex Ecclesiae statuto publice emittatur, & fiat; hoc enim modo etiam votum simplex fieri potest. Sed solemnitate substantiali, quia nimirum importat actualitatem, & actualem receptionem superioris nomine Dei acceptantis. Ubi votum simplex importat non actualem traditionem, sed simplicem provisionem. His positis.

II. Dico. Probabiliter censeo, votum solemnium quovis tempore fuisse impedimentum dirimens matrimonium postea contractum. Duo hic dico. Unum quod votum solemnium sit im-

pedimentum dirimens: Alterum quod tale fuerit quovis tempore. Primum ad fidem pertinet: definitum enim est in Tridentino Sess. 24. Can. 9. Si quis dixerit, clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professes, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel veto... anathema sit. Veritatem hanc multis impugnant conatur recentiores haeretici. Cum tamen fuisse contra eas scripserim, tum in Vera Ecclesia, tum. 2. p. 1. a. 4. S. 7. Tum in Colloquio Theologico — Polemici, Classe 1. ideo illic Studiosum remitto.

III. Secundum vero controvertitur etiam apud Catholicos, volentibus quibusdam, per quinque priora secula votum solemnem non fuisse impedimentum dirimens. Prob. nam ex perpetua Ecclesiae traditione, ejus testes sunt: Primo: Cyprianus, Ep. 62. ad Symposium ubi Virginis Deo dicitur conjugium vocat incellum, tam vocem non matris, fed Christi adulteram, quod si se ab invicem non separant, nunquam Ecclesia admitti posse pronuntiat. Et ill. de Disceptata, & habita Virginitate, idem sentit, & riles Christi adulteras vocat. Quorundam autem tales expressiones, si suo tempore votum virginitalis fuisse impedimentum solum impediret? Quis enim Christi adulteras, perpetuas separandum, & finolucit, nunquam in Ecclesiam admittendam pronuntiat virginem, quae post simplex castitatis votum ad nuptias transtiret? Tertio. Testes sunt Chrysol. Ep. ad Theodorum Maa-cham, & in Ep. ad Hebr. Homil. 13. ubi tales nuptias adulterum comparat. Bassilius de Virginitate (qui liber esto in recentiore editione inter dulos Bassili factus ponitur, auctoritas tamen coevi est) Nam inquit cum virginitalis Domino uxorem, postea carnis voluptatibus vita, supri peccatum matrimonii nomine praeterire velint: non ignorant quomodo quovis ignorantiam praeservent, tam, quae dantur spolio suo deturam violant, atque illius sponsam esse, quem illegitime reliquit, neque illius, cui se per libidinem junxit, secundam legem uxorem videtur posse.

Secundo. Testes sunt S. Hieronymus, l. 11. adv. Jovinianum Virginitatem cum quo post consecrationem nuptiarum, non tam adultera sunt, quam incesta.

Tertio. Testes sunt S. Augustinus, qui in Psalm. 83. Alius inquit ex muliere Dei majoris aliquid vovit, statum nec nuptias parit: qui non damnatur, si duxerit uxorem, post votum quod Deus promissit, si duxerit, damnabitur, cum hoc faciat quod ille, qui non promissit, tamen ille non damnatur, iste damnatur. Quare nisi quia iste respicit retro? Sic virgo, quae si nubens non peccaret, sanctimoniali si nuptiorum Christi adultera deputabitur. Et l. de Bona Viduitate postquam dixit, sibi non potius quam dicitur nuptias post votum non esse nuptias, sed potius adultera. Subdit c. 11. Sed plane non dubitaverim dicere, lapsus, & ruitas a castitate sanctiores, qui vovetur Domino viduaribus esse proprios.

Quarto. Testes sunt veteres Pontifices, Striccius, Ep. l. c. 6. Monachos, & sanctimoniali si matrimonium contrahant, non solum excommunicationi precipiunt, sed etiam in ergastulis per totam vitam poenitentiam agere. Innocentius I. Ep. l. ad Vitricium, l. 12. & 13. clare distinguitur inter votum simplex, & solemnem, dicit, eam, quae sacrum velum accepit non admitti ad poenitentiam, donec vixerit, vel votum simplex, quomodo non admittitur, quae vivente viro esse ali viri copulaverat. Secus autem de ea, quae sacrum velum non accepit. Gelasius I. Quin Ep. l. c. 22. & 23. cum Innocentio distinguit inter votum simplex, & solemnem, ac sacrum virginum nuptias vocat incesta federa.

Tandem hoc idem testantur Concilia. Carthagenense IV. cui S. Augustinus interfuit, & subscriptus, anno 298. Can. ultimus: Viros, qui assumpto religioso habitu se Domino devoverant, si postea ad nuptias seculares transferant, adulterii crimine notari dicitur: & quidem magis, quam milites conjugatas, quae a viris suis adulterata fuerint. Toletan. l. anno 400. verat (Can. 16.) mulierem devotam, si nuptiis, recipi in Ecclesia, nisi vivente illo, cui se conjunxerat, caste vivat, aut certe non nisi post mortem ejus. Idem statuit Toletanum IV. anno 633. Can. 51. & Toleranum VIII. anno 653. Can. 6. Concilium pariter Chalcedonense, anno 451. Can. 14. Diaconissam, si se nuptiis tradiderit, anathemati subjicit: cum eo qui nuptiis illius conveserit, & Can. 15. sic statuit: Si qua virgo se dedicaverit Deo, similiter Monachus, non licet eis nuptiis jungi. Si vero invenerit fuerint hoc fecisse, mandatur excommunicari. Quod autem haec Canonica significant, irritas esse tales nuptias, Concilium Triburicense, anno 883. declarat: nitens enim Concilium Chalcedonenis auctoritate, aperte praecipit, Can. 23. ut separantur qui post votum solemnem matrimonio se conjunxerint. Et tandem Turonense II. anno 567. Can. 16. jubet Monachum, si uxorem duxerit excommunicari, & de uxoris matris societatis confortio, etiam implorato Judicis auxilio, separari.

IV. Cum ergo perpetua traditione probatum sit, Ecclesiam quovis seculo exhorruisse matrimonium eorum, qui solemniter castitatem voverant, eosque, si se separaverint irrecusable anathemati subjicere, credendum est, eam semper desideratum fuisse talia matrimonium, nedum illicita, sed irrita. Cuiusmodi non invenitur ab aliquo Pontifice, vel Concilio primo statutum, sed semper observatum: credi potest ex apostolica traditione descendisse secundum regulam S. Augustini: Quod univ-rsae tenent Ecclesiae, nec Concilia irritum, sed semper servatum esse, non nisi auctoritate apostolica traditionis restitutum.

S. II.

S. II.

Resolutio Posterior.

V. Dico. Probabiliter censeo, votum solemnem matrimonium superveniens dirimere; non solum Jure Ecclesiastico, sed Jure naturali, & divino. Ita S. Thom. hac q. 53. Suppl. art. 2. & q. 88. art. 11. Quodlib. 3. art. 18. & Quodlib. 10. art. 11. hac probat ratione. Jus naturae dicitur, ut qui semel aliquid totaliter donavit alteri, eaque donatio fuit ab illo acceptata, non possit illud idem postea alteri tradere: sed per votum solemnem Religionis homo totaliter se donat Deo, sumque corpus illi tradit ad perpetuam continentiam, quae donatio, & traditio a Deo per Praelatos acceptatur; ergo jus naturae dicitur, quod non possit corpus suum alteri per matrimonium tradere in usum contrarium votum, quod illud Deo donavit, & tradidit.

VI. Secundo. Matrimonium ratum ex natura sua dirimit matrimonium subsquens, quia cum per primum matrimonium traditum sit corpus unum, non reminet amplius postea illud alteri tradendi; ergo similiter votum solemnem castitatis &c. Quia non dedit, qui dicitur, eam traditionem, quae quis corpus suum mancipat Deo, ac in perpetuum tradit, habere minus roboris, ea traditione, qua quis corpus suum tradit uxori per consensum matrimonium.

VII. Tertio. Votum simplex castitatis ex natura sua dirimit sponsalia subsutura, quia id quod quis jam promisit Deo: non potest alteri promittere; ergo votum solemnem ex natura sua vim habet dirimendi matrimonium subsquens: quia id, quod est jam traditum Deo non potest homini tradi.

VIII. Quarto. Votum solemnem Religionis dissolvit matrimonium antea validum, si sit inconsummatum, & hoc non jure humano dicitur Dominus: Quod Deus conjunxit, homo non separet; ergo a fortiori dissolvit matrimonium postea contractum, & quidem jure divino.

IX. Quinto. Si ejusmodi votum solum ex constitutione Ecclesiae dirimit matrimonium; ergo fieri potest: ut religiosus solemniter professus manens religiosus, etiam absque dispensatione validum inest matrimonium: ut si Pontifex constitutionem illam tollat, & relinquat votum solemnem in eo vigore, quem habet ex sua natura. Quia enim votum solemnem castitatis est annexum status clericali solo jure Ecclesiastico, inquit Papa relegendo Clericum in statu suo clericalem dispensatio utatur, ut matrimonium contrahat, vel matrimonio contracto utatur, ut constat in sacerdotibus Graecis, qui ex dispensatione Ecclesiae utuntur conjugio antea sacram ordinationem initio. Potest ergo Papa a voto solemnium Religionis hanc vim dirimendi matrimonium, vel legis abrogatione, vel dispensatione tollere, & facere, quod Monachus manens Monachus nubat, & uxorem, ac filios in Monasterio habeat. Sed hoc aperte repugnat. Nam cultus castitatis adeo est annexa regule monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere (inquit Innocentius III. Cap. Cum ad Monasterium, tit. de Statu Monachali). Et propterea Auctores, qui oppositum sentiunt; Innocentium sic interpretantur, nempe, Papam non posse quidem dispensare, ut Monachus manens Monachus ducat uxorem, sed dispensando facere, ut ex Monacho fiat non Monachus: Quae interpretatio non esset opportuna, si votum solemnem Religionis jure solum Ecclesiastico dirimit matrimonium.

X. Confirmatur dicta ex Concil. Tridentin. Sess. 24. Can. 9. ubi declarat, matrimonium Clericorum in sacris ordinibus constitutorum, & regularium castitatem solemniter professorum, esse irrita: illorum propter legem Ecclesiasticam: illorum propter votum. Quae Cur haec distinctio? si votum solemnem Religionis non ex sua natura, sed ex lege tantum Ecclesiastica dirimendi matrimonium vim habet, sicut votum quod emittitur in sacerdotum Ordinem susceptione.

XI. Sed dices primo. Votum non dirimit, quia votum, sed quia solemnem: sed solemnitas voti est ex constitutione Ecclesiae, ut loquitur Bonifacius VIII. Cap. antes de voto, & voti redemptione, in 6. ergo ex eadem Ecclesiae constitutione robor habet dirimendi &c.

XII. Respondeo: Veram esse maj. Non enim votum solemnem Religionis habet vim dirimendi matrimonium, quia votum: Nam votum simplex non dirimit, nec quia votum solemnem praesertim: Nam si quis faceret votum solemnem, sed non castitatis, quale erat votum illorum, qui olim se coram Episcopo adhibebant militie ad recuperandam Terram Sanctam, non propterea esset inhabilis ad matrimonium. Sed dirimit matrimonium, quia votum solemnem Religionis, in qua essentialiter includitur obligatio ad perpetuam continentiam. Nec oppositum sentit Bonifacius. Aliud enim est, quod jure traditio sui corporis facta Deo. & ab eo acceptata in voto solemnium religionis, dirimat traditionem postea factam uxori. Aliud est modus sui extrinsecus, qua talis traditio fieri debet, ut sit rata. Sicut aliud est, quod jure traditio proprii corporis facta uxori, & acceptata in matrimonio, dirimat matrimonium postea factum cum alia. Aliud est modus, qui servari debet, ut hac traditio, & acceptatio sit rata. Hoc secundum, nempe, modus, & ceremoniam, quis, qua etate, & eorum quo fieri debet religiosa professio, sicut & matrimonium, est solemnitas pendens ex institutione Ecclesiae, quae proinde multa statuit, ut five votum solemnem Religionis, five matrimonium rata habeatur. Sed primum. Nempe, quo jure impletis conditionibus, & modo ab Ecclesia statuto, tam votum solemnem Religionis, quam matrimonium vinculum dirimit.

manet matrimonium subsquens, non est ex vi Ecclesiasticae dispositionis: sed ex natura vinculi, quo quis se tradidit Deo, five uxori, quae est insolubilis.

XIII. Dices secundo. Traditiones, quae sunt matrimonium, & in professione Religionis non pugnant inter se. Nam conjugatus potest fieri religiosus, etiam post consummatum matrimonium de licentia conjugis.

XIV. Respondeo: Quod sicut impotentia coeundi, si matrimonium antecedit, repugnat vinculo conjugali, non tamen si illud subsquat: ita traditio per votum solemnem, si subsquat matrimonium, non repugnat: si tamen antecedit, matrimonium post eam contractum non potest esse validum: Quia ut valide contrahatur, debet qui contrahit transferre potestatem sui corporis in alterum, & jus eo utendi ad copulam conjugalem: hoc autem non potest facere, qui per votum solemnem illam se abdicavit, & Deo se tradidit ad perpetuam continentiam. Post matrimonium vero facta contrarium potest esse, quod unum conjugium, vel amiferi jus utendi corpore alterius, vel sponte juri illi cedat, manente tamen vinculo, atque ita tunc nihil inveniunt repugnans voto solemnium.

XV. Dices tertio. Summus Pontifex in his, quae sunt de jure naturae dispensare non potest: sed dispensavit aliquando, ut Religiosi professi matrimonium contraherent, ut varie tradunt historici; ergo votum solemnem Religionis non dirimit matrimonium jure naturae, sed tantum jure Ecclesiastico.

XVI. Respondet S. Thom. 2. quae. 88. art. 11. neg. min. & movetur ex Decretalis, tit. de Statu Monachorum. Cap. Cum ad Monasterium, ubi dicitur: Abdicatio proprietatis, sicut etiam custodia castitatis adeo annexa est Regulae Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere. Ex quibus inferit S. Thomas, quod continentia sit essentialiter annexa eis ad quod votum solemnizatur; & proinde de essentia status monachalis: per quem homo abrenuntiat saeculo, & totaliter Deo se mancipat, quod non potest simul fieri cum matrimonio, in quo incumbit necessitas procurandae uxoris & proli, & familiae, & rerum, quae ad hoc requiruntur. Ad exempla vero, quae indicantur in oppositum (si tamen vera sunt, de quo aliquid dubitari) responderi potest: Summum Pontificem in illis circumstantiis pro sui judicio, & prudentia sequi, essentiali opinione oppositum, quae etiam probabilis est, maxime apud Juristas.

XVII. Respondent aliquid mentem S. Thomae fuisse, Pontificem cum non posse dispensare in voto solemnium continentiae cum Monacho in sensu composito, idem in mente Monacho, sicut potest dispensare in voto continentiae solemnizato per susceptionem sacri Ordinis, quia votum continentiae non est essentialiter annexum ordini sacro, sed ex statuto Ecclesiae: ideoque fecere potest, ut stante ordine sacro, ordinatus contrahat matrimonium. Possit tamen dispensare in voto continentiae cum Monacho in sensu diviso, id est sciendo, ut qui erat Monachus, non sit amplius Monachus, seu extrahendo illum a statu, cui erat continentia essentialiter annexa, & sic postea contrahere matrimonium: sicut calix consecratus, licet quantum manet consecratus, non possit usibus profanis infervere, si tamen exsecratur, res illa quae usui tantum sacro poterit infervere, ad quemcumque usum adhiberi potest. Vide Cajetanum, in praefatum articulum 11.

DUBIUM IV.

An Cognatio Carnalis, sit impedimentum dirimens.

S. I.

Quid sit Cognatio Carnalis.

I. Triplex a Canonistis cognatio distinguitur: Carnalis, seu naturalis, quae dicitur cognatio naturalis, Spiritualis, quae appellatur compaternitas. Et Legalis quae vocatur adoptio. Hic de prioris fermo erit, de duabus aliis in sequentibus. Juristae Civiles hoc inter cognatos, & agnatos discernunt statuunt. Quod agnati ab eodem patre nati sint, cognati ab eadem matre. Jus tamen canonicum nullam hujus distinctionis rationem habet; sive enim alii, aut ab eodem patre, aut ab eodem matre progeniti sint, cognatos appellat.

II. Cognatio igitur naturalis sic describitur a S. Th. q. 84. Suppl. art. 1. Cognatio est vinculum ab eodem stipite descendens carnalis propagatione contractum. Ponebat Vinculum, quasi genus, quia ut docet S. Thom. ibi omnes, qui uniantur, vel communicant in aliquo, colligati quodammodo dicuntur ad invicem: Sicut dicuntur cognati, qui habent politicam communicationem ad invicem, & commilitones, qui conveniunt in militari negotio. Et eodem modo illi qui conveniunt in naturali communicatione, dicuntur consanguinei. Propositi autem descendentes ab uno stipite, ponuntur quasi subiectum, quarum est hujusmodi vinculum, cujus idem stipites carnalis propagatione est principium.

III. Stipes autem generaliter vocatur ea persona, a qua alii qui dicuntur originem, sicut arbor a radice, vel rama a trunco, sive sit pater, sive mater. Nam vir, & uxor, cum sint una caro; unum sumdemque stipitem constituunt. In praesenti autem fermo est de stipite, non remoto, sed propinquo, cujus virtus adhuc remanet in illis, qui progeniunt ex eo. Quia ut docet S. Thom. citatus, ad 1. Consanguinitas est in quantum multi communicant in virtute generantis et uno in multis per propagationem deducti. Haec autem virtus, etsi perveneret in omnibus secundum similitudinem speciem, se-

